



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.3. Eadem veritas ex Apostoli verbis elicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

*Heb. 12.* (quod tuus ait Apostolus) proposito tibi gaudio, crucem, ejusque confusionem atque ignominiam præoptares. Nimirum cibum habebas manducare quem nesciebamus, incognita nobis gaudia gaudebas, alibi dapes ac delicias atque oblectamenta inveniebas. Vexari, affligi, crucifigi, mori, hunc cibum tuum, hoc balneum, hoc gaudium tuum appellabas; his tuam orexin atque appetentiam, cæterorum abstinens, reservabas. Ut vel sic denique ostenderes in bonorum ac gaudiorum delectu errare turpiter Adæ filios, & eorum instar, infectum habere ac vitiatum gustatum cordis; ac demum si partem tecum ac societatem vellimus habere, prius intrandum nobis in gaudium in cruce patientiæ quàm in gaudium in cælo regnantis.

## §. 3.

*Eadem veritas ex Apostoli verbis elicitur.*

Sed luber rem omnem ex ipsa Divina Scriptura conficere, & eoque mentem religiosam ad idem studium paremque sensus extrimulare.

Ut enim jam illa non proferam; exultasse Christum, instante passione suâ; sive cum dixit Luca 10. *Confiteor tibi Pater;* ut quidem censuit S. Cyrillus; sive cum Joannem rogavit Patrem: *Et nunc, clarifica me tu Pater;* ex more abferenda S. Chrysostomi interpretatione: Ponderanda sunt duntaxat verba S. Apostoli ad Thessalonicenses scribentis, quibus eos comendat, quod tribulationes cum gaudio spiritus sustinendo, in eo facti sint ipsius Domini imitatores. Ita

*1. Theff. 1.* enim ait: *Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, exipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti.* Ubi dum aliam nullam assignat imitandi Domini modum, nisi quod magno animi gaudio tribulationes sustinerint, manifestum relinquit, & ipsum Dominum ingenti gaudio excepisse passiones suas, & hilarem ejus in adven-



patientiam, nostrâ imitatione exprimendam. Unde ibidem S. Chrysostomus: Quomodo autem fuerunt (quærit) imitatores Christi? môxq; ita responderet: *Quoniam ipse quoq; multas sustinuit perpeffiones, sed gaudebat. Lubens enim & sua fronte eò veniebat. Propter nos se ipsum exinanijt, erat conspuendus, colaphos passurus, in crucem agendus; & adeò gaudebat hac patiens, ut Patri diceret: Glorifica me, &c.*

At ne ampliùs immerger in re tam comperta ac manifesta: id unicum restat videlicet, ut hoc exemplo informati (quod quidem nos admonet, eadem confirmans S. Ambrosius) *gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in suis; & quas ille suscipiebat pro servulis, nos subeamus pro Domino: adimplentes (ut ibidem addit) quæ desunt tribulationum Christi, & passionum nostrarum perseverantiâ eum iustificantes.* Verùm id exactiùs proximo capite tractandum est.

### CAPVT VI.

*Quàm congruens sit in aduersorum tolerantia, eosdem nos cum Domino nostro sensus habere.*

§. I.

*Vt deceat seruos ijsdem cum Domino moribus esse.*

**E**X his, quæ modò, de summo ardore patiendi, & de gaudio, quo inter patiendum affectus fuerit Redemptor noster disseruimus; pronum est effici, quàm nos ejus seruos conveniat, tribulationes pro Christo non refugere, aut cum etiam in eas incidimus (ex Jacobi Apostoli monito)